

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Iudicium super Seneca eiusque scriptis

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

IUDICIUM

Super SENECA eiusque SCRIPTIS.

* Ex pro-
fesso in
Manu-
duct. cap.
xviii.

Cap. l.iii.

AVDAVIMVS hunc auctorem* alibi, & dotes ac bona eius diffudimus: sed ad Iudicium nunc imus, & qui aduersantur audiemus, & EX ANIMI SENTENTIA tabellam dimittemus. Video inter veteres, tres fuisse qui ex professo culparunt, Caligulam, Fabium, Agellium: quâ causâ, aut fine, videamus. De Caligulâ, Suetonius:

Sueton.
cap. xxx-
iiii.

Lenius comptiusque scribendi genus adeo contempsit, ut Senecam tum maxime placentem, Commissiones meras componere; & Arenam esse sine calce, diceret.

Caligula hoc iudicium est: nempe illius, qui cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis: itemque Virgilij & T. Liuij scriptis, ex omnibus bibliothecis amouendis. En hominem, cui bona scilicet placeant: & quo arbitro Seneca stet, vel cadat. Quid tamen in dictariis illis voluit? Commissiones componere, id est, pompa tantum & theatris apta scribere: quæ florem & fucum magis, quam robur & veritatem haberent. Sunt enim Commissiones, cum inter se ingenia committuntur, pro palmâ: ἀγωνισματὰ Græcis, ἡ Παιδεία. Hoc eo spectat, quod ut Suetonius dixit, comptum & lene illud dicendi genus Caligula odisset. Et de comptu, in Senecâ est, fatemur: de lenitate, mihi non videtur, in istis quidem Philosophicis. Ubi robur magis est, & acrimonia: fortasse aliter in Orationibus, de quibus proprie Caligula fortasse censebat. Sed alterum, quale est? Arenam sine calce. An quod minuta commatia, & sensus iaceret, parum inter se deuincta? quod diffunderet oratio eius, nec haberet? An etiam, quod longus & sine fine esset: sicut stadium vel circus (nam id quoque Arena) sine metâ? Possis utronis ducere: & de prior, mox in Fabio viderimus: de altero, certum est uberem & copiosum in rebus verbisque esse, eidem etiam Fabio assertum. Atque hunc igitur audiamus: non per conuicia, sed iudicio, ut apparet, & consilio arbitrantem. Ait, lib. x.

Ex industriâ Senecam in omni genere eloquentiæ versatum distuli, propter vulgatam falsò de me opinionem, quâ dammare eum, & inuisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum, & omnibus vitiis fractum dicendi genus, reuocare ad seueriora iudicia contendo: tum autem solus ferè hic in manibus adolescentium fuit, quem non equidem

dem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam. quos ille non destiterat incessere: cum diuersi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse iis, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quàm imitabantur, tantùmque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum, pares, aut saltem proximos illi viro fieri: sed placebat propter sola vitia, & ad ea se quisque dirigebat effingenda, quæ poterat. Deinde cum se iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat: cuius & multæ alioquin, & magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile & copiosum, plurimum studij, & multa rerum cognitio, in quâ tamen aliquando ab iis quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est. Tractauit etiam omnem fermè studiorum materiam. nam & orationes eius, & poëmata, & epistolæ, & dialogi feruntur. In philosophiâ parùm diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit: multæ in eo claræque sententiæ, multa etiam morum gratiâ legenda, sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eò perniciosiora, quòd abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contempsisset, si parùm concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset: consensu potiùs eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur. Verùm sic quoque iam robustis, & seueriore genere satis firmis, legendus vel ideò, quòd exercere potest vtrumque iudicium. Multa enim, vt dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modò curæ sit, quod vti nam ipse fecisset! Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet, quæ quod voluit, effecit.

Ista Fabius. quem boni rectiq. plurimum iudicij Censorem agere, libens fateor: nisi sicubi affectus abducit, quod hic vereor factum. Ipse non dissimulat, sparsam de se opinionem, iniquiorem Seneca esse: & ego hercules agnosco. Tamen vel sic bona de Senecâ, quadam alia dicit: & pensitemus. Ait, In omni genere eloquentiæ versatum.] Magna & vera laus est: versâ & prosâ valuit, omne studiorum argumentum ferè tractauit. Pergit: Ingenium facile, & copiosum.] Agnoscimus: & de facilitate, quis non inter legendum videt, fluere omnia e pleno pectore, & inexhausto illo ingenij fonte? Ipse de se: Qualis sermo meus esset, si vnâ sederemus aut ambularem, IL LABORATVS & FACILIS, tales esse Epistolas meas volo. De Epistolis hoc signatè. Atque ea sunt, quæ curam & tractationem habuisse, inter omnia scripta, videantur. Iam de Copiâ, inuentiones illæ tam varia & dispares, in

Epist.
LXXV.

Unâ re Moralium, dicent. Quot libri sunt, quot etiam fuerunt? Et inter omnia similia, nihil idem: imò vix sententiam aut imaginem reperias iteratam. Mirabitur, si quis inquireret: & tale exemplum alibi requireret. Iterum Fabius: Plurimum studij.] Quod me dat in stuporem. In aulâ, in coniugio, in illo genere vitæ, familiâ, opibus, occupationibus, potuisse in libris scriptisq; sic esse. Sed ipse pertinax & intempestivum suum studium non celat, scribitq; Lucilio suo: NULLVS mihi per otium DIES exit: PARTEM NOCTIVM studiis vindico. Non vaco somno, sed succumbo; & oculos vigiliâ fatigatos cadentésque in opere detineo. Secessi non tantum ab hominibus, sed à rebus: & primum à meis. POSTERORVM NEGOTIVM ago: illis aliqua, quæ possint prodesse conscribo. Salutares admonitiones, velut medicamentorum vtilium compositiones, litteris mando. En virum diligentem studiorum, & nostri! quis non amet pariter, nobis sic natum & occupatum? Verba ea repete & examina, quisquis es: pudebit vel spargere, vel audire calumniam, in generis humani sic amantem. Studium autem illud nisi tale fuisset; unde tot istæ opera quæ habemus, & non habemus? Voluptati, somno, vitæ detraxit: quod nobis impendit. Pergit etiam Fabius: Multa rerum cognitio.] Vides Polymathiam, quam novelli indices frustra detractum eunt. At Fabius candidè donat, & magnus ille Plinius, qui Principem eruditionis, invidendo elogio, appellat. Et quis detrahet, qui varia in omni materie scripta eius videt, aut cogitat? In pœsi plurima fuerunt: exstat Medæa tragædia, & gloriæ sufficit aut palma, in hoc quidem genere scriptorum. Quid oratoria eius, historica, philosophica, miscella? Omnia enim tractavit, non solum tetigit: atque etiam Dialogos scripsit (ut hîc Fabius) quo argumento nescio, & desiderabile tamen mihi hoc opus. At una etiam Satyra in Claudium exstat: quàm variè docta, arguta, venusta? nec Venus aut Lepor aliquid addant. Sed porro etiam Fabius: Egregius vitiorum insectator.] Sanè fuit, & vel nimium hac parte aliquis dicat, aut potius iam dixit. Mihi tamen non videtur, aut nimius etiam Epictetus, qui vel acrius ea insectatur. Cynicum hoc fuit, destringere passim & defricare: Stoici tenuerunt, etsi modestius, & in scriptis magis quàm sermone, usurparunt. Quis autem in philosopho damnet, vitia insequi, pellere; virtutes aduocare, inducere? proprium illorum opus est, aut debet. Ceterum noster hac parte meritò à Fabio attollitur, acer & calidus insectator, & hostis toto animi sensu. Vide stimulos & ictus sententiarum, cum hoc agit: vide insurgentem, & panem dicam ardescentem. Simplicius de Epicteti acrimoniâ: Qui ab eâ non excitetur, eum non nisi apud inferorum tribunalia corrigendum. De nostro verissimè usurpem. sensum boni honestiq; non habet, quem eò non impellit. At ipse, inquiunt, hæc non sensit. Non sensit?

sensit? da qui simulat, & sic scribit. Sophocles olim verè:

— δύσφα δ' καλὰς

Περίορον' αἰάλην χεῖρὰ καὶ δαίειν ἔπη:

— virum est opus

Benè facientem, verba consequi bona.

Est opus. & è fonte puro, pura; è sordido, sordida & maculantia aliqua manare. Neque abnuo, simulari ista posse, & solere: sed sic, ut frigus & remissio appareat, & uno verbo, animi dissensio & pugna. Amplius: Multæ in eo claræque sententiæ.] Hoc unice iactamus, & parem ei in Graciâ aut Latio non damus. quid parem? vix propinquum. Atque ea sententiæ acres, argutæ, penetrantes sunt; & quod caput, salutare. Vnus libellus, una epistola eius dabit, quod satis sit vitæ formanda, aut corrigenda, si quis medenti se donat. Denique Fabius: Multa probanda, multa etiam admiranda sunt.] Quid hoc est? censorem, an laudatorem induximus? adhuc talis fuit: & ex animi sensu, contra animum panè fuit. Venite, audite, qui Fabium nobis obducitis: ego plura aut maiora non dixerim, qui Senecam produco. Est probabilis, est ADMIRABILIS in multis: quid ultra volumus? nam ubique talem esse, conditio hac hominis non capit. Sunt igitur & culpa, siue Vitia: atque ea ab eodem Fabio (nam ego ordine excerpam) audiamus. Primum est, quòd antiquos incesse, diuersi conscius sibi generis.] Hoc caput, hic fons est Fabiana reprehensionis: qui veteris eloquentia (nec immerito) amator, reuocare eam, & nimium aui sui comptum, & fractum dicendi genus emendare conabatur. Qui autem tuebantur, Senecam auctorem aut ducem præferebant: ideoq; & hunc repellit, aut inuadit. Ait, veteres incesse: nec falsò. minimè antiquarius Seneca, & epistola ista (ubi iudicia talia inspergit) docent. Imò adeò abhorret, ut vix alium quàm Virgilium è poëtis aduocet, aut Publium: rarò vetustioris aui aut stili quemquam. Proprium aliquod & suum genus habuit: ut solent ista vel cum atatibus mutari, vel pro ingenio atque animo cuiusque formari. Quis Ciceronem Graccho aut Catoni similem dicat, aut velit? Nec illi Senecam, aut Plinium: sed nec Tacitum. nam & iste causas egit, & orationes scripsit. Tamen puro sinceròque iudicio, laudanda in stilo & eloquio hi posteriores etiam habent. Quid de Symmacho dicam, quem multi bonique iam olim mirantur? tantum etiam ab illis abiit, quantum illi à Cicerone. Ut in vultibus nostris, sic in stilo diuersitas: & laudabiles etiam forma, non sunt, ut sic dicam, uniformes. At enim multa Seneca in eloquendo, ait Fabius, corrupta.] Ab hac causâ, quam dixi, à cultu & flore nimio: denique etiam, quòd rerum pondera minutissimis sententiis fregit.] Ita enim idem addit: neque abnuo, crebras & minutas istas sententias interuenire. Sed pondera etiam rerum frangere? hoc nego, in
istis

*1. Manu-
duct. Diff.
xiv.

istis quidem philosophicis libris, qui exstant. Augent magis, & intendunt. Stoicorum hoc proprium fuit, non gladiis, sed pugiunculis, rem gerere: & breui & accincto sermone esse. Docui * alibi: & vel Epictetus, qui superest, dicet. Imò verò in Philosophiâ mirè hoc decere videtur: aliud in Oratoriâ fateor, de quâ propriè Fabium censere mihi liquet. Et tamen, ut reuelata fronte & pectore agam, non etiam abnuo interdum Sententiolas interuenire, frigiditas aut inani argutiâ: & quas exire magis, quàm ferire dicam. Sed pauca sunt ista: & meliorum numerus obumbrat. At culpam etiam Fabius, ut in Philosophiâ parùm diligentem.] Quid hoc est? aut de quâ parte loqui eum putem? Logicâ? non, opinor, tractauit. Naturali? quadam in eâ sunt, & nominatim libri VII. Quæstionum: sed illi verò ita exacti, curiosi, subtiles, ut ipsa Aristoteléa prouocent, aut vincant. De Morali igitur? nugæ, regnum hic inter omnes tenet. Sed Fabij mentem ego hanc arbitror, non inquisisse nimis aut penetrasse in interiora Philosophiæ; externâ hac populari, & velut medicante, contentum. Quod fateor: & ipse noster sæpe hunc sensum & finem suum prodit, utilia magis quàm subtilia sequi. Prodit, & mihi probat: atque utinam operati omnes Philosophiæ huc eant! Vltimum est, Pleraque corrupta in eo esse.] Quod ad eloquentiam iterum spectat, non illam puram, simplicem, & antiquam. Iam fassi sumus, & prædiximus: oratio eius (Taciti verbis) multum cultus prætulit. quare? causâ duplici: ut fuit illi viro amoenum ingenium, & temporis eius auribus accommodatum. Ecce, prior causâ ab ingenio & indole est, cultâ & amœnâ, facili & copiosâ: altera ab aui moribus & sensibus, cui oratio ferè se aptat. Noster verissimè: Quemadmodum vniuscuiusque actio dicenti similis est; sic genus dicendi imitatur publicos mores. Corruptio igitur ista, non nisi in cultu nimio: & quid valdè damnes? ipse Fabius fatetur, abundare eum dulcibus vitiis. Sanè dulcibus: & capiuntur, scio, isti ipsi qui carpunt. Sed ad Fabium satis: tertius assurgat, & agat Agellius, qui sic scribit: De Annæo Senecâ partim existimant, ut de scriptore minimè utili, cuius libros attingere nullum precium operæ sit: quòd oratio eius vulgaris videatur & protrita; res atque sententiæ aut inepto inanique impetu sint, aut ut leui & quasi dicaci argutiâ; eruditio autem vernacula & plebeia, nihilque ex veterum scriptis habens neque gratiæ, neque dignitatis. Alij verò, elegantia quidem in verbis parùm esse, non inficias eunt; sed & rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt; & in vitiis morum obiurgandis seueritatem grauitatè que non inuenustam. Duae partes sunt. prior ex professo hostilis, nec iudicium sed odium adfert. Ait, scriptorem minimè utilem. Tunc? quin unica eius epistola

Epist.
cxiv.

stola magis talis, quàm agelli tui omnes fructus. Attingere libros nulum operæpretium.] Non vobis illis, siqui logodadali tantum estis, & in unâ linguâ poliendâ occupati. Deinde, Oratio eius vulgaris & protrita.] Quid potest vanius? alij nimium cultum obiiciunt; hic nullum. An id indicium est, modum tenuisse? Res & sententiæ inepto inani-que sonitu.] Tua, ita me Deus, omnia hac verba: sed non tua: aliis nescio quibus tribuis; mox mitiora, & vero magis consinia adiungis. Ea ipsa tamen tenuem & macram, ut sic dicam, laudem habent: notam autem animi tui ab hoc scriptore aversi, à quo & stilo nimium diuertis. Hæc causa repudiij. quæ quisque amat & habet, amari ab aliis vult; & odit dissentientes. Audi semel Agelli. tu nil nisi veteres Comicos, & Latij puritatem sectaris, & exprimis (fatendum est:) noster in viâ altâ & aliâ, in cothurno est: ne reuoca ad tuum soccum. Denique in te, & omnes istos caniculas. genus scribendi & materiem videamus: nihil pro eâ melius fortasse potuit, aptiusq. Philosophatur, animos & mores format, excitat à formidine, à luxu & fastu reprimat: hæc omnia fortiter & calide agenda sunt, & oratio talis adhibenda. An non fecit? Ciceronem in eo genere confer, stagnum dices: hunc autem flumen rapidum, quod lectorem secum trahit. Satis, satis. ego Senecam uniuersè, admiratione magis quàm laude prosequendum arbitror: in partibus aliquid esse quod censeas, aut cui succenseas, non nego. Sanè decedit interdum, aut à se mutat. ut in iocis aut dictis, quàm ineptus alibi, siue affectatus est? in laudibus aut vituperiis, siue modo? exordia, aut transitus, longinqua, aut comica? incuria etiam in historiis? inquisitiones aut dissertationes in Philosophiâ, sed & philologiâ, tenues? Sunt enim ista, sed pauca: & meliorum statim interuentu ita pensantur, ut momentum ad deprimendum non habeant, in hac iudicij lance. Itaque sententiam pro te, Seneca, audacter ferimus: in Philosophiâ, & præsertim Morali eius parte, vicisti qui fuerunt, qui erunt: accipe palmam, non magis quàm Herculi clauam (omnes omnia faciant) extorquendam. In ipsâ eloquentiâ, duæ tuæ virtutes eximia: Copia in breuitate, Vehementia in facilitate. De Copiâ, bonus index & sagax statim agnoscit, & * Fabius ut peculiarem virtutem etiam alibi adsignat: Copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri. Ut videre meritò sit illos, qui siccum & aridum nobis dicunt. At de Vehementiâ, ego eius miror: & est tota oratio ferè accincta, intentata, & robur in eâ & acrimonia, quâ vel ad Demosthenem se iacet. Deinde, quæ mirabilem illum oratorem facit, cum isto certè ei communis est, itemq. numeri illi viriles. Vnde autem, nisi ab animo tali? & Pectus est (pulcherrimo sensu Fabius) quod disertus facit, & VIS MENTIS. Iudica sic bone Lector, & bono tuo (spondeo, respondeo) Senecam ama.

* Lib. XII.
cap. X.

DE